



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Petri Petiti Philosophi & Doctoris Medici, Miscellaneorum Observationum Libri quatuor**

**Petit, Pierre**

**Trajecti ad Rhenum, 1682**

Cap. XXIII. Vox restituta in versu Empedoclis: emendatio auctoritate  
Aristotelis confirmata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13245**

conjunctæ, ut cum motus absque sono, qui quidem sensu percipiatur, esse possit, nunquam tamen sonus absque motu aut excitari aut conservari possit. Quod ad *spuria* & *fascina* attinet, ibi relata ab *Apulejo*, satis quidem constat in censu esse aquatilium, atque ita nominata, quod partes viri & feminae genitales figura expriment, ut jam dictum est: de genere autem aliqua ambiguitas esse potest; an sint conchylia, ut vult *Turnebus*, an alterius generis. *Conchas* (inquit lib. 17. *Advers.* cap. 15.) *quasdam propter similitudinem pudendorum virilium & muliebrium virginalia & veretilla vocat Apulejus*. Rursus lib. 29. *Advers.* cap. 13. His nominibus intelligit conchylia quaedam, qua partes illas, quas dixi, figura referunt. Contra *Aristoteles* lib. 4. *histor.* cap. 8. pinnas iis tribuens, non obscure hac nota e conchyliorum censu excludere videtur: ἔστι δὲ, inquit, ἐνιαυζῶνα περιττὰ καὶ ἐν τῇ θαλάττῃ, & paucis interjectis: ἀλλὰ δὲ ὁμοία αἰδοίῳ ἀνδρὸς, τότε εἶδ' ὅ, καὶ τὸ μέγεθ' ὅ, πλὴν ἀντὶ τῶν ὀρχέων πλέρουσας ἔχ' ἑνὸς δύο. Hæc ibi *Aristoteles*.

## CAPUT XXIII.

*Vox restituta in versu Empedoclis: emendatio auctoritate Aristotelis confirmata.*



Te in plerisque codicibus excusis atque etiam in collectaneis philosophicæ poësis ab *Henrico Stephano* editis, leguntur hi versus *Empedoclis*,

Ἡ δὲ γὰρ πᾶσι ἐγὼ γενόμεν κέρητε κόρ' ὅ τε,  
Θάμν' ὅ τ' ὀϊωνός τε, καὶ εἰν αἰλί ἔλλοπ' ὅ ἰχθύς.

Unus *Conradus Rittershusius* corruptum in voce ἔλλοπ' ὅ  
ver-



versum vidit, & ex *Anthologia* sect. 1. tit. 89. restituit: quo loco in iisdem versibus ἐμπυρῶ pro ἔλλοπῶ legitur. Cum enim librorum corruptores *Empedoclis* placita ignorent, epithetum ἐμπυρῶ, ut ab aquitilium natura alienum, alio, quod iis aptius visum est, mutarunt. Verum si saltem librum *Aristotelis* περὶ ἀναπνοῆς legisent, & rationem hujus epitheti apud *Empedoclem* intellexissent, & criticos ungues ab ea voce abstinuissent.

Quem locum philosophi quo emendatio ista mirifice confirmatur, quia *Rittershusium* fugit, adscribere operæ pretium visum est. Ἐμπεδοκλῆς δὲ οὐ κακῶς τὸ ἐῖρηκε, Φάσκων τὰ θερμότησα καὶ πῦρ ἔχοντα μάλιστα πλεῖστον τῶν ζώων ἐνυδρα εἶναι, Φεύγοντα τὴν ὑπερβολὴν τῆς ἐν τῇ φύσει θερμότητος ὅπως ἐπειδὴ τῶ ψυχρῶ καὶ ὑγρῶ ἐλλείπει, κατὰ τὸν τόπον ἀνισάζη ἐνάντια ὄντα. i. *Empedocles autem non recte hoc dixit, statuens calidissima animalium, ignemque habentia plurimum, aquatilia esse, ejus quæ in eorum natura inest, caliditatis, excessum fugientia, ut quoniam frigido & humido deficiuntur, contraria illa sibi insita, loci beneficio ad mediocritatem redigant.* Ex quibus philosophi verbis, quæ *Empedoclis* de piscium temperamento sententia fuerit, intelligi potest, & cur in eo versu ἐμπυρον ἰχθύν dixerit. De re autem ipsa quid sentiendum sit, videnda quæ eodem loco *Aristoteles* contra eam opinionem disserit.